



1716, 9
SUB RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO

REVERENDISSIMI ET ILLUSTRISSIMI DOMINI, 107.

D O M I N I

PHILIPPI WILHELMI,
S. R. I. COMITIS DE BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARII
INTIMI, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM, MOGUN-
TINÆ ET TREVIRENSIS, CANONICI CAPITULARIS SENIORIS, ET RESPECTIVE
SUPREMI CHORI-EPISCOPI; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-
GUNTINI CONSILIARII INTIMI, AC CIVITATIS TERRITORIQVE
ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPIS,

UNIVERSITATIS ELECTORALIS ERFFORDIENSIS
RESUSCITATORIS MUNIFICENTISSIMI,

DE

JURE PROPRIUM
PERSEQVENDI INTERESSE,
CUM DAMNO PROXIMI,

EXERCITATIONEM JURIDICAM,

CONSENSU AMPLISSIMI ICTORUM COLLEGII,

PRÆSIDE

D. TOBIÆ JACOBO Reinhardt

PANDECT. PROF. PUBL. ORDIN.

PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ

IN AUDITORIO ICTORUM MAJORI

D. XIX. NOV. M DCC XVI.

PRODUCET

JOH. BERNHARD HAHN, BRÜCKENAV-FULDENS.
RESPONDENS.

ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHIL, ACAD. TYPOGR.

SUB REGORATU MAGNIFICENTISSIMO
 REVERENDISSIMO ET MAGISTRALISSIMO DOMINO
 D O M I N O
PHILIPPI WILHELMI
 S. R. I. COMITIS DE ROSENBERG
 SACRE CAESAREAE AUSTRIACAE REGIAE ET BOHEMIAE
 APARTINAE, NEC NON METROPOLITANAE ECCLESIAE APOSTOLICA
 SEDE ET ARCHIEPISCOPATUS BRUNNENSIS, CANONICUS, SACRIS
 THEOLOGICIS, JURIS, HISTORIAE, PHILOSOPHIAE, LINGUA
 GRAECA, HEBRAEAE, ARABICAE, PERSICAE, TURCICAE
 GYMNASII CONSULTARII INTIMAE, AC CIVITATIS TERRITORIORUM
 PRÆFECTISSIMUS PRO-RECTOR
 UNIVERSITATIS ELECTORIS BRUNNENSIS
 RESCRIPTORIS MAGNIFICENTISSIMAE
 DE
JURE PROPRIUM
 PERSERVENDI INTERESSE
 CUM DAMNO PROXIMI
 EXERCITATIONEM JURIDICAM
 CONSENSU AMPLISSIMI IUSTITUM COLLEGII
 PRÆSIDE
D. TORIBÆ JACOBO STEINBERGER
 PANDECTORUM, FORAL ORDINUM
 PUBLICÆ ERUDITIONIS CENSURÆ
 IN AUSTRIACIS IUSTITUM MAIORI
 D. XII. NOV. MDCCLVII
 PRODUCT
 JON. BERNHARD HAHN, BRUNNENAV-FOLDENS
 REPERTORIUM
 BRUNNENSIUM, TITULI JON. HENRICI GROSCHNEIDERI, TITULI





DISSERTATIONIS SUMMARIA.

§. 1. **A**dmirandam hominis supra omnes bestias constitutam naturam deprædicat, idque ex testimoniis S. Augustini & Senecæ.

§. 2. Hanc Prærogativam in specie ex Intellectu demonstrat, vi cuius omnino colligendum, hominem esse animal sociabile, §. 3. Dista Hominum socialitas ex aliis adminiculis representatur ex doctrinâ Puffendorffii. §. 4. Sociam quidem primam, sed non Catholicum Legis Naturalis esse Principium. §. 5. Hoc ipsum exemplis demonstratur. Hinc Præceptum Juris Naturæ **DEUS EST COLENDUS**, neutiquam ex Lege socialitatis est deducendum. §. 6. Neque alterum Præceptum: **Temerè ipsum Ama, defende & Conserva**; §. 7. Sed sola obligatio ad alios homines spectans. §. 8. Obligatio eamem hominis erga se ipsum & proximum mutuum inter se habent connexitatis. §. 9. Hinc socialitas ex amore sui & proximi debet esse temperata. §. 10. Unde proflexit

Exercitationis nostræ argumentum.


§. 11. An licitum sit proprium interesse persequi cum damno proximi. §. 12. Quo respectu illud sit licitum, ubi demonstratur: nostram doctrinam toto calo differre à principiis Hobbesii. §. 13. Exemplis ibidem probatur; Sic aggressorem insanum vel insomniis agitatum aut in persona errantem impune occidere licitum. §. 14. Nec non Tertium omnino Innocentem, defensionem meam impediendem. §. 15. Respondetur ad Obj. Celebrissimi Zigleri in Not. ad Gros. de I. P. & P. §. 16. Idem de isto, qui metuit Corpori suo illationem stupri vel mutilationem nobilioris membri. §. 17. Subditus quoque contra principem Interesse suum retere persequitur; Hinc questio ventilatur: An Princeps sine causa subditum aggrediens, ab hoc pro conservanda vitâ, possit interimi? §. 17. In statu naturali propter proprium Interesse fides data multo sæpius impunè eliditur, ut ut cum damno proximi; ubi questio.

An liceat ex ratione status à sadere licite remittit, si aliter pax haberi
semel inuito dissentientibus conse- nequeat. Neque tunc damnorum
deratis recedere. §. 20. Ob Interesse resarcitio ex publico fieri debet,
Commerciorum proprium non in- contra Grotium. §. 24. Homini
frequenter damnum proximo citra extrema necessitatis & famis ten-
iniquitatem inferitur. §. 21. In Re- pore furari licet. §. 25. Tempore
gno Gallia & Hispania citra inju- incendii vicini ades demolire licet,
stitia notam multo saepius propter ut conserventur meæ & aliorum.
interesse Regis omne subditorum ar- §. 26. Molendini extructio, ut
gentum confectum officina numma- cum damno Vicini, est permissa.
rie adferri jussum. §. 22. Sic quoque §. 27. Idem in molendini meliora-
principi datur jus præsuppositis præ- tione & mutatione juris. §. 28.
supponendis. Suburbia, domus, ac Afferuntur hujus Rei tres limita-
præta subditorum demolendi, sege- ones. §. 29. In meo fodiens vi-
tes exurendi, solumque devastan- cini fontem impure avertio &c.
di, & prædia privata ad fertiliti- §. 30. Enucleatio L. 26. ff. de
orum extructionem adhibendi. damn. infect. §. 31. Tradit con-
§. 23. In pacis tractatibus sum- clusionem & quedam exempla:
mus Imperans damna privatis illa- ubi proprii Interesse persecutio cum
za eorumque satisfactionem hosti damno proximi omnino prohibita.

De Jure Proprium persequendi interesse, cum
Damno Proximi.

§. I.

Verisimum certè ac elegans effatum est, quod
sanctum istud ecclesiæ Christianæ decus, S.
Augustinus de admirandâ hominis supra om-
nes bestias constitutâ, ac ab omnipoten-
tissimo creatore concessa reliquit præminentiam, dum
l. 2. de Civ. dei, inquit: *Et omni miraculo, quod fit per homi-
nem, majus miraculum est ipse homo.* Ipseque Seneca hu-
manam



manam contemplans naturam, non unâ sanè exclamavit vice: *hominem ne utiquam unumquarium & incogitatum, sed maximum & commendatissimum esse naturæ opus, quo inter maxima rerum suarum natura nihil habeat, quo magis gloriatur. Lib. 4. de benef. 23. & de jurâ 5.*

§. II.

Sicut autem in ipso palmam inter cœtera præripiunt, non solùm splendida vis ista intellecturix, quæ nullo ingenio nullâve ratione, quo scilicet pacto tam mirifico inclusa Domicilio, tam ineffabiles producat operationes, investigari potest, sed quoque tot alia in ipso conspiciuntur communicandi instrumenta, ad vitam socialem colendam aptissima, ex quibus unusquisque non potest non sat abundè colligere, tanta dona hominibus non frustra collata, sed se à Deo productum, ut per ingenitam mentis vim Deum creatorem cognoscat, omni cultu ac veneratione istum prosequatur, aliosque mutuâ benevolentiam complectendo placidam ac justam cum ipsis agat vitam; Ita suâ spontè consequitur: homines omnes ad naturalem quasi socialitatem esse congenitos, ac mutuâ quadam benevolentiam & indulgentiam inter se contineri, jurisque communione connecti.

§. III.

Hæcce connata quasi hominum socialitas naturalisve conjunctio eo se repræsentat dilucidius, quo apertior partim in homine se exerit indigentia, partim ad vitia proclivitas, partim denique nocendi facultas.



Hocse si homo vincere velit hostes, utique opus est, ut sui conjungatur similibus, & erga eosdem se ita gerat, ut ipsius commodis annuere malit, quam probabilem alteri suppeditare ansam ipsi nocendi: qui demonstrandæ socialitatis modus est Dn. Puffendorffii, recedentis à demonstratione Hugonis Grotii in prolegom.

§. IV.

Ex quo manifestissima ratiocinatione intelligitur: socialitatem primum omnino & fundamentale esse legis Naturæ principium, undè plurimæ promanantes conclusiones tanquam ad lapidem lydium sunt reducendæ, pariter ac examinandæ; *Plurimæ* notanter diximus conclusiones; non *omnes*; Multa enim juris naturalis præcepta dantur, quæ inde vel difficulter vel planè non derivari possunt: Hinc rectè socialitas *primum*, neutiquam tamen, cum Puffendorffio, vocari potest *cartholium* s. *Universale* legis naturæ principium.

§. V.

Statim enim apparet: ex socialitate ista saltem fluere dictamina, ac inde ad veritatem primam esse reducibilia, quæ ad alios homines spectant; quæ verò Deum vel semetipsum concernunt, aliundè deducenda, id quod exemplis fiet clarius: Sic præceptum juris naturalis: *Deus est Colendus*, ex socialitatis lege eò minus demonstrari debet, quo certius: rationem ipsam naturalem sine ullo socialitatis respectu hoc ipsum dicitare. Cæteroquin enim Adamus, eo tempore, quo solus antè productos alios vixit homines, neutiquam ad colen-

colendum Deum, imò nullis, omnino naturæ legibus
fuiſſet obſtrictus, quin potius ipſi liberum, Deum vel
colere vel non colere, ſemet conſervare, vel non con-
ſervare, quod tamen abſurdum. Confer. illuſtr. Dn:
Mauritius de Princ. Jur. publ. Cap. 4. §. 12.

§. VI.

Alterum quoque legis naturalis præceptum: *Te-
meipſum ama, defende & conſerva*, ex obligatione ad
colendum Deum firmitus certè ac clarius, quam ex ſo-
cialitatis lege demonſtrari poteſt. Vitam enim a Deo
accepimus, quæ concreditam, & ut ipſi ſemper fa-
mulemur, ejusdemque gloriam reddamus il-
luſtriorẽ, facti ſumus, nil unquam ergo a nobis fieri
poſſe, per quod divino quippiam decedat cultui, qui-
libet ſtatim intelligit.

§. VII.

Sola ergo obligatio ad alios ſpectans homines, ex
lege ſocialitatis optimè deduci, indeque proximè &
concludenter probari poteſt, & debet; & hoc reſpectu
ſocialitatem genuinum, manifeſtum, ſufficiens ac ad-
æquatum principium a Clariff. Puffendorffio recte ha-
bitum L. 2. C. 3. §. 9. de J. N. & G. Ne ullum enim ju-
ris naturalis datur præceptum, *homines alios ſpectans*,
cujus ratio non ultimato indè petatur.

§. IIX.

Multum tamen obligatio hominis erga ſe ipſum
& proximum habent connexitatis, ut vix ferè de
veritate ſententiæ B. Dn. Titii, dubitem, qui in ob-
ſervatione ad Puffendorff. Obf. 78., quem quoque no-
viſſime

vissimè *Dn. Christoph. Andreas Remerus, de vero obligationum valore, tractatu Section. I. cap. I. § 17.* sequitur, legi socialitatis Philavthiam ordinatam ita conjungit, ut absque hâc illa sola pro unico juris naturalis principio, quod tamen *Dn. Puffendorff. de O. H. & C. L. I. C. 3. § 7. & sequent.* docuit, haberi nequiquam possit; homo enim propriam conservationem juxta socialitatis regulas, à ratione præscriptas, ad honorem Creatoris, & quidem ita æstimare debet, ut socialitatem colat, sed sibi non noceat, nec sui conservationi nimium studeat, socialitatem tamen violet, vel contra ipsius leges nimium impingat.

§. IX.

Ex utroque itaque amore sui scilicet & proximi, socialitati accedere debet temperamentum; ita tamen, ut *amor proprius* semper palmam præripiat, *amori proximi.* Hinc ordinatam charitatem à se ipsâ semper incipere rectè dicitur, habetque hoc homo, cum reliquis omnibus animantibus, qui sui sensum quodammodo percipiunt, commune, ut semet ipsum conservandi semper sit studiosissimus; quod tamen ita intelligendum, ut in concursu, proprium interesse commodo proximi tunc deipsum sit præponendum, si utrumque obtineri non possit. Confer *Puffendorff. de O. H. & Civ. L. I. cap. 5. §. 20.*

§. X.

Quæ cum ita sint, hoc genus argumenti: An & quatenus scilicet homini jus sit, proprium persequendi interesse cum incommodo, imò damno proximi,

103.

ximi, præfenti in exercitatione Academicâ confide-
rare plenius, ac exemplis ex Jure Naturæ, Gentium
& positivo, quodammodo illustrare, operæ duximus
pretium.

§. XI.

Damnum seu incommodum inferre proximo,
& hominem hominis incommodo fuum augere com-
modum, magis eſſe contra naturam, quam mors,
quam paupertas, quam dolor, quam cœtera, quæ
poſſunt aut corpori accidere aut rebus, rectè quidem
docuit *Cicero Libr. III. de off.* Sed hoc ita demum intelli-
gendum, ſi proprii intereſſe promotio nulla omni-
nò juris Aſſiſtentiâ vel permiſſione, ſed ſola lucri cu-
piditate cum animo alteri nocendi, eſt fundata. Si-
cut enim nullus dolo videtur facere, qui ſuo utitur
jure. *L. ſſ. ff. de Reg. Jur.* Ita nemo damnum facit,
niſi, qui id facit, quod facere jus non habet. *L. ſſ.
ff. eòdem.*

§. XII.

Ex quo ſuit: quod, ubi jus habeo, aliquid in-
meum commodum faciendi, me non peccare, ſi pro-
prium intereſſe promoveo, etiamſi proximus da-
mnum ſeu in commodum inde ſentiat. Atque hoc
reſpectu vindicamus noſtrum thema à ſententia Ho-
beſii, proprii intereſſe conſervationem ex meris af-
feſtibus naturalibus potiſſimum æſtimantis, ex quo
tandem principium ejus corruptum enatum: quod
natura bellum omnium contra omnes præcipiat, qui
tamen propriæ conſervationis modus omninò falſi-
ſimus,

B

ſimus,



finitis, & naturæ rationi instructæ è diametro contra-
rius.

§. XIII.

Hoc ipsum exemplis fiet clarius: Sic istum, qui ag-
gressorem insanum vel infomniis agitatam, aut in per-
sonâ errantem, occidit, neque in interno neque ex-
terno foro peccare defendimus, etiamsi aggressor irre-
parabili damno inde afficiatur. Aggressus enim di-
ctum periculum aggressoris, cui subicitur, ut respiciat,
ac corpus suum ipsius discretioni relinquat, non ob-
stringitur, cum istud vel ex hujus injustitiâ
vel peccato descendat, de quo non aggressus sed ag-
gressor respondere tenerur, jus vero defensionis ex
ipsâ lege naturæ aggressio competat.

§. XIV.

Unde consequitur: Jus mihi omnino esse, pro con-
servandâ propria vita, tertium, ut ut notorie innocen-
tem, qui meæ defensionis vel fugæ, finè quâ mors e-
vadi non potest, obicem ponit, transfodiendi, impu-
neque occidendi. Lex enim, quæ læsionem proximi
prohibet, tanquam negativa, utique cedit alteri legi:
Temeripsum conserva, tanquam affirmativæ: major-
que, ut supra diximus propriæ, quam proximi salutis
respectus habendus.

§. XV.

Nec obstat: Dn. Ziegleri in *Not. ad Grot. de J. B. & P.*
L. 2. C. 1. §. 4. facta objectio: Legem scil. justitiæ generalem
prohibere, innocentis occisionem; nam hoc, verum in
regula & thesi, sed non in exceptione & hypothesi, de
qua hic agimus; occisio enim hæc non in vaso, sed in-
vadenti

168.

§. (II) §. 11

vadenti erit imputanda, cum ille habeat jus se defendendi, ac per consequentiam, qualecunque defensionis impedimentum removendi.

§. XVI.

Idem quoque de isto dicendum, qui metuit corpori suo illationem stupri vel mutilationem nobilioris cujusdam membri. Hoc enim in vasus certo scire non potuit, & illud in ipsa Carolina Articulo 1.º. est permisum, cum ejusmodi scemina per stuprum violentum morti omnino æquanda patiatur; Hinc Legislatores Romani ex hac sola causa stupratoribus violentis ultimi supplicii pœnam distitasse, non est improbable. vid. L. 1. §. 2. ff. de extraord. Crim.

§. XVII.

Sed quid de principe sine justa causa subditum invadente dicendum, an & huic sit licitum, pro conservando interesse vitæ, cum internecone ipsum repellere? certè, si constet in vaso: in principis conservatione publicam salutem omnino requiescere, in ipsius subsecutura internecone verò istam omnino periclitari, Negandam omnino quæstionem statuimus; sin verò de hoc certus non sit in vasus, affirmandam putamus; cum tamen penes subditum in tantas vitæ angustias à priacipe redactum non semper stet, ad hasce circumstantias circumspicere reflectere, non dubitandum, quin longè generosius faciat, si vitam suam summi imperantis iræ, utut injustissimæ, consecret, atque sic à persecutione proprii interesse se sic contineat.

B 2

XIX.



Fidem porrò datam servandam esse, ipsa juris dictamina satis abundeque inculcant, sed multo contingit sapius, ut in statu naturali proprium interesse, sive jus conservandi sui, præponderet, fidemque datam elidat. Hinc ex *Ratione*, quam dicunt, *Status*, ut ut cum damno & incommodo confœderatorum, a fœdere innito recedere licitum crediderunt populi. Id quod tamen cum grano Salis accipiendum; Non enim quælibet ficta ac imaginaria status ratio, sed vera saltem & fundata, & necessitate consistens, jus à fœdere sincere semel innito recedendi suggerit.

§. XIX.

Idem quoque in eo obtinet, qui ad præstanda auxilia vi innitæ confœderationis obstringitur: ipse tamen non levi vires ejus exhauriente bello coercitus domestico; hic enim ad promissa adimplenda propter concurrens interesse proprium eò minus tenebitur, quo certius: omne promissum intelligi regulariter sub clausula: rebus sic stantibus. Absit tamen hic omnis fraus, & ex parte recedentis deceptio. Hinc, qui ut socium fraudet auxilio bello sua sponte se involvit, vel qui absque proprio detrimento duplices sistere potest copias, vix excusabitur, nec à confœderationis nexu liberabitur.

§. XX.

Non infrequenter porrò accidit, ut propter jus proprio invigilandi interesse integras sæpè inter Nationes, provincias & civitates commerciorum libertas

tas ita constringatur, ut rerum quarundam exportatio vel adportatio omnino interdicator, vel certis ad minimum limitibus includatur, ut ut vel maximè tertius exinde maximum damnum sentiat. Hinc, ut vinorum Provincialium consumtibilitas eò auctior reddatur, ne exotica inferantur, præfes provinciæ rectè prohibet; ut ut is, qui vina exotica ibidem hætenus vendidit, propter jam cessans commercium, commodo suo & lucro omnino destituatur, imò irreparabili damno afficiatur. Idem quoque in aliis rebus obtinere, quotidiana commonstrat praxis & experientia. Sic rectè frumentorum vel lignorum exportationem, ut horum indigentiam à se & subditis removeat, Princeps impedit, ut ut vicinitas inde damnum sentiat. *Confer. Mev. p. 1. Dec. 316. n. 3.* Commerciorum sanè natura, utpote primarius rerum gerendarum nervus, aliter tractari non patitur, cum perse constet: in commerciis naturaliter semet invicem circumvenire, non esse prohibitum.

§. XXI.

ibo In Galliæ & Hispaniæ regnis non una contigifse vice constat: ut omne æs argentum confectum speciali Regum jussu officinæ inferri oportuerit nummaria, hac lege, ut effluxo temporis spatio, vel adveniente Classe argentea sortem vel cum- vel interdum sine usuris subditi reciperent. Ad interessè Regis hoc inventum camerale spectasse, sicut nemo dubitat; Ita cum damno & maximo interdum subditorum incommodo id ipsum contigisse, maximè est probabile; sed

B 3

leges

leges justitiæ inde fuisse offensas, propter dominium supereminens summo imperanti in res subditorum competens, neutiquam defendimus.

§. XXII.

Idem ob Excellentia, quod vocant, dominium, Principi jus competit, suburbia, domus, vineas atque prata subditorum demoliendi, ne hosti quodammodo possint esse usui; & princeps proprium solum recte devastat, fegetesque exurit, si certa adest spes, hostem propter alimentorum defectum arcitum iri, imò prædia privatorum ad fortalitia aliaque opera publica citra omnem injustitiæ notam à principe occupantur, nec incommodorum habetur ratio, ita tamen, ut pretia proportionata ea propter subditis solvi oporteat.

§. XXIII.

In pacis, qui ineuntur, tractatibus, à summo imperante, non sibi solum, sed quoque privatis ratione damnorum atque injuriarum, ob causam belli acceptarum, solet prospici; sed interesse principis proprium multò sæpius ita præponderat, ut ejusmodi satisfactio hosti omnimodò remittatur; id quod quidem recte fieri, si aliter discordiæ fedari, & pax haberi nequeat, apud omnes Doctores unanimiter affirmatur; sed quod tunc damnorum resarcitio ex publico fieri debeat, absque sufficienti fundamento defenditur à Grotio *de J. B. & P. L.* 3. C. 20. de 7. & 8. cujus argumentis ex Dn. Ziglero *de Jur. Maj. C.* 40. L. 2. §. 2. in conflictu respondebimus.

§. XXIV.

Extremæ præprimis necessitatis & famis tempore jus proprium respiciendi interessè adeo hominì competit, ut quantum ob famis necessitatem depellendam sufficit, alii non egenti, si præsertim præviis precibus nihil impetrari potuit, auferre, omnino sit licitum, quod rectè defenderunt Grotius de *J. B. & P.* C. 2. §. 6. & seq. cum Puffendorffio de *J. N. & G.* 2. cap. 6. Lex enim, ne quid alteri auferatur, ex jure quidem naturæ, sed non primario, sed secundo, quod scilicet introductionem & distinctionem dominiorum sequitur, originem habet: Jam verò non est credibile, nec probabile, distinctionem dominiorum inter homines, tam rigidis durisque conditionibus ita universaliter esse inclusam, ut ne extrema quidem necessitas famis excepta intelligi debeat. Confer. *Ordin. Crim. Art. 166.* & Carpz. p. 2. *Qv. 83. n. 50. & seqq.*

§. XXV.

Ob vicinorum quoque interessè hisce impune permittitur: Ob incendium exortum meas, ut ut nondum urere cœptas, ædes demoliendi, ut flammæ cœterequin latius serpenti in tempore resistatur. Hinc rectè Ulpianus in *L. 49. §. 1. ff. ad legem Aquiliam.* quod dicitur, inquit, *damnum injuriâ datum Aquilia persequi, sic erit accipiendum: ut videatur damnum injuriâ datum, quod cum damno injuriam intulerit: nisi magnâ vicinæ*

gente fuerit factum, ut Celsus scribit, circa eum, qui incendii arcendi gratiâ vicinas aedes intercidit, nam hic scribit, cessare legis Aquiliae Actionem: iusto enim metu ductus, ne ad se ignis perveniret, vicinas aedes intercidit, & siue pervenit ignis, siue ante extinctus est, existimat: Legis Aquiliae cessare actionem.

§. XXVI.

Molendini extractio, tametsi cum alterius damno & incommodo fiat, cujus ex vicino molendino reditus imminuuntur, ex eodem jure persequendi proprium interesse, nemini privato regulariter est prohibita, Dn. Ziegl. de jur. Maj. L. 2. cap. 15. §. 36. Mev. P. 9. Dec. 72. n. 3. etiam si aliis in inferiore vel superiore fluminis parte molendinum jam habeat, adeo, ut nec huic jus quoddam prohibendi competat, et si per hoc illi damnum inferatur. Frider. de Mand. cap. 38. n. 6. Rationem elegantem L. 26. ff. de damno infecto, suggerit, ubi dicitur; Non debent videri is damnum facere, qui eo velut lucro, quod adhuc utebatur, prohibetur. Illud enim, quod ex priori usu nunc mihi periit, ex alterius patientiâ & beneficio unice profuit, quam patientiam, si mihi ulterius concedere nolit, ac proprio jure uti incipiat, me quid perdidisse propriè dici non potest. Wesenbec. Consil. 97. n. 18.

§. XXVII.

§. XXVII.

Idem quoque obtinet in casu, quando quis molendinum, quod hactenus habuit, immutare, & vel ex oleario frumentarium, vel ex hoc olearium efficere voluerit. Simile quoque jus cuilibet regulariter competit in augendis rotis molaribus, ut eo majus emolumentum & interesse inde consequi valeat. Hæc enim omnia & similia ad res meræ facultatis pertinent, quæ quamdiu tales sunt, omnem restrictionem respuunt.

§. XXIII.

Tribus tamen limitationibus prælaudatum jus extruendi molendinum potissimum includitur: (1) Si usus fluminis inde fiat deterior. (2) Si extractio molendini ad meram alterius fiat æmulationem, quæ, sicut in dubio non præsumitur, sed ab allegante probanda, *Gail. L. 2. obs. 69. n. 30.* Ita toties adesse dicitur, quoties solo animo alteri nocendi, citra omnem ædificantis utilitatem vel necessitatem extractio facta est; & denique (3) quando vel lege vel consuetudine aliud est introductum. Ubi Notandum, legem istam positivam declarari specialiter debere à principe, nequis sine voluntate suâ & consensu molendinum extruat; Cæteroquin enim absque ejus præscitu molendini extractionem privatis esse permissam rectè docuit

docuit *Ziegl. de Jur. Maj. c. l. §. 32.* Imò si vel maximè ejusmodi lex prohibitiva adesset, ad extruenda tamen, ne utiquam tamen ista ad extructa, ut ut iterum collapsa & noviter reedificanda molendina pertineret, in tantum ut juri reedificandi nullo unquam tempore præscribi possit, id. §. 36. & 37.

§. XXIX.

Elegans porrò thematis nostri exemplum supeditat nobis *Jctus Ulpianus in L. 26. ff. de damno infecto.* de eo, qui in suo fodiens, vicini fontem avertit, vel alius ædificando vicini luminibus officit. Utrumque sine peccato licere in allegato textu distindè deciditur: Audiamus ipsum Ulpianum: *Proculus ait: cum quis jure quid in suo faceret, quamvis promississet, damni infecti vicino, non tamen cum teneri eâ stipulatione, veluti, si juxta mea ædificia habeas ædificia, eaque jure tuo alius tollas, aut si in vicino tuo agro curriculo vel fossâ aquam mihi abducas, & illic luminibus officias, tamen ex eâ stipulatione actionem mihi non competere: Scilicet, quia non debeat videri, is damnum facere, qui eo veluti lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur, multumque interesse, utrum damnum quis faciat, an lucro, quo adhuc faciebat, uti prohibeatur.*

§. XXX.



§. XXX.

Elegans certè hic datur decidendi & dubitandi ratio. Ut enim per meam inædificationem, aquæ vicinus damnum actuale in luminibus vel fonte percipiat, ac ea propter jus altius tollendi vel in meo fodiendi interdici posse videatur, aliud tamen esse damnum facere, & damnum pati eleganter hic distinguit JCrus, sufficit enim, cum in meo fodio vel ædifico, me jure meo uti, & sic damnum revera non facere, ac ea propter, an alter aliquod damnum patiat, non mihi, sed casu fortuito quasi esse imputandum.

§. XXXI.

Sexcenta certè alia ex jure omni hic possemus allegare exempla, ad illustrationem & probationem thematis nostri spectantia, imprimis, quod proprium parietem aperire sit licitum eum in finem, ut in fundum vicini prospiciatur; juxta *Dn. Struv. Ex. ad ff. 13. §. 13.* nec non *ex Carpzovii dec. 108.* casum, quod scilicet cloacam in meo fundo ædificare prohiberi nequeam, etsi vicinus scetorem in amicumque aspectum inde consequatur; sicut quoque tota jurisprudentia cautelarum magnum hic afferre posset lucem, largamque hoc thema extendendi materiam; Quia tamen limites disputatorii, intra quos nos coarcta-

arctavimus, hic ponunt obicem, sponte subfistimus,
 & occasione textus in Spho præcedente XXIX. alle-
 gati coronidis loco, hoc saltem addimus: quod in
 omnibus istis casibus, ubi jura in persequendo inter-
 esse alicui non assistunt, ejus persecutionem cum da-
 mno proximi neutiquam esse licitam; Hinc naufra-
 gio E. gr. facto, si aliquis viribus imbecillior tabulam
 præoccupavit, alius ut consulat interesse suo & salu-
 ti propriæ, hunc à tabulâ injustè certè deturbat;
 nec in acie alterum vulneribus faucium, equove in-
 sistentem non rectè ejiciet, ut propriam per-
 sonam periculo eripiat.

F I N I S.




ULB Halle
001 972 26X

3



s. b.







1716, 9
SUB RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO
REVERENDISSIMI ET ILLUSTRISSIMI DOMINI, 107.

DOMINI
PHILIPPI WILHELMI,
S.R.I. COMITIS DE BOINEBURG,

SACRAE CAESAREAE ATQVE REGIAE CATHOLICAE MAJESTATIS CONSILIARI
INTIMI, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM, MOGUNTINAE ET TREVIRENSIS, CANONICI CAPITULARIS SENIORIS, ET RESPECTIVE
SUPREMI CHORI-EPISCOPI; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARII INTIMI, AC CIVITATIS TERRITORIIQUE
ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPIS,

UNIVERSITATIS ELECTORALIS ERFFORDIENSIS
RESUSCITATORIS MUNIFICENTISSIMI,

DE
JURE PROPRIUM
PERSEQVENDI INTERESSE,
CUM DAMNO PROXIMI,

EXERCITATIONEM JURIDICAM,
SENSU AMPLISSIMI JCTORUM COLLEGII,
PRÆSIDE

D. TOBIÆ JACOBO Reinhardt/
PANDECT. PROF. PUBL. ORDIN.
PUBLICAE ERUDITORUM CENSURAE
IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI

D. XIX. NOV. M DCC XVI,
PRODUCET
JOH. BERNHARD HAHN, BRÜCKENAV-FULDENS.
RESPONDENS.

ERFORDIAE, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHIL, ACAD. TYPOGR.